



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

Parisiis, 1644

Mandatvm Regis Portvgalliae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15644

ANNO CHRISTI
1514 strum, & cantato euangelio secundū Ioannem per reue-
rendissimum in Christo patrem dominum Ludouicum san-
cta Mariæ in Cosmedin cardinalem Aragoniæ, quod inci-
pit, *Si diligitis me, &c.* sanctissimus dominus noster incepit
hymnum, *Veni creator Spiritus, &c.* Quo finito, & oratio-
ne cantata per præfatum sanctissimum dominum nostrum,
supradicti oratores illustrissimi regis Portugalliae accessse-
runt ad pedes sanctitatis suæ, & præsentauerunt manda-
tum præfati illustrissimi regis ad interessendum sacro Con-
cilio. Et idem sanctissimus dominus noster tradidit illud
reuerendo domino Thomæ Phædræ secretario Concilii.
Qui ascendit ambonem, & legit illud alta & intelligibili
voce: cuius tenor talis est.

MANDATVM REGIS PORTVGALLIAE.

*Emmanuel Dei gratia rex Portugalliae & Algariorum citra,
ultraque mare in Africa, dominus Guncæ ac Conquistæ, na-
vigationis ac commercii Æthiopiæ, Arabiæ, Persiæ atque
Indiae, vniuersis & singulis harum seriem inspecturis.*

Notum facimus, quod confidentes nos plurimum de
fide & industria nobilis & insignis viri Tristanni de Cu-
gna consiliarii nostri fidelissimi, & dilectorum atque e-
gregiorum iuris doctorum Didaci Pacheci, & Ioannis de
Farra, nostræ curia auditorum, quos ad sanctam sedem
apostolicam, ac sanctissimum dominum nostrum, do-
minum Leonem decimum diuina prouidentia sanctæ Ro-
manæ & vniuersalis ecclesiæ pontificem maximum cum
obedientia oratores destinauimus: ipsosque etiam ora-
tores ac procuratores ad hoc sacrum Lateranense Conci-
lium, quod sua sanctitas continuare & prosequi deliberat,
designamus, deputamus, constituimus, dantes illis ple-
num mandatum & omnimodam potestatem pro nobis
& regnis dominiisque nostris in ipso sacro Lateranensi
Concilio dicendi, proponendi, agendi, tractandi omnia
& singula, quæ ad celebrandum & concludendum ipsum
Concilium, tam quoad sanctissimam & omnibus Chris-
tianis optabilem contra Christi hostes expeditionem,
quam quoad cetera ad sanctæ Romanæ ecclesiæ eiusque
membrorum vunionem, & Christianæ religionis fideique
catholicæ augmentum & commodum spectantia, neces-

Concil. Tom. 34.

Zz

faria , seu opportuna fuerint , etiam si talia forent , quæ
mandatum exigerent specialius : ac denique omnia circa
hoc faciendi , quæ vobis viderint expedire , & nos ipsi præ-
sentes faceremus : promittentes nos gratum , ratum , fir-
mum & validum habituros , quidquid in prædictis &
quolibet eorum per dictos nostros oratores actum , fa-
ctum & gestum fuerit . In quorum fidem & testimonium
præsentes scribi , & sigillo nostro communiri fecimus ,
manuque nostra subscripsimus .

Datum in vrbe nostra Vlixbonæ duodecimo Kalen-
das Nouembris , anno Domini millesimo quingentesimo
duodecimo .

Deinde dominus Marius de Peruschis , fisci & sacri
Concilii procurator , exposuit præfato sanctissimo domi-
no nostro , quod licet alias fuerit decretum monitorium
contra prælatos Gallicæ nationis , & alios vtentes quadam
pragmatica sanctione , & fuerit citatio decreta contra
eosdem , vt venirent ad allegandum causam , quare dicta
pragmatica reuocari non debet ; & fuerit huiusmodi mo-
nitorium seu citatio legitime executa & reproducta , &
sua sanctitas prorogauerit eisdem terminum usque ad præ-
sentem sessionem : tamen ipsi minime comparere cura-
runt nec curant , tam ad defendendum dictam prag-
maticam , quam ad interessendum sacro Concilio . Quare
contumaciam eorum accusauit & accusat , petens proce-
di contra eos ad declarationem , & decerni processus per
affixionem citationum ad valvas ecclesiæ Lateranensis .
Ex aduerso vero reuerendus pater dominus Claudius e-
piscopus Massiliensis , orator Christianissimi Francorum
regis , allegauit , excusando dictos prælatos , dicens eos
venisse usque ad montes , seu Delphinatum ; & quia non
potuerunt obtainere saluumconducendum a detentoribus
ducatus Mediolanensis & dominii Ianuensis , ideo non
venerunt . Et pro verificatione dictorum produxit unum
instrumentum & certas literas missiuas tenoris infra scri-
pti , videlicet instrumentum .